



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

15. Dies Aprilis. Solus Deus potest iudicando non labi; qui solus in cognoscendo, non potest falli. S. August. epist. 54.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

## 15. DIES APRILIS.

Solus Deus potest judicando non labi;  
qui solus in cognoscendo, non potest  
falli. *S. August. epist. 54.*

Judicium I.  
temera-  
rium.

**T**andem intellectus à suspicio-  
ne, & opinione, actu formi-  
dante progreditur ad assensum  
plenum, omni hæsitacione ca-  
rentem, secum pronuntiando hoc est; & illud est Ju-  
dicium. Quod si occurrant Intellectui motiva assen-  
sus, commensa perfectioni Judicii, quod fertur;  
tunc assensus est rectus, & rationi conformis, nec ul-  
lum ex eo Injustitiæ periculum, adversus bonam de  
alio existimationem incurrit. At si deficientibus ar-  
gumentis, iisque non satis firmis, ut assensum extor-  
queant, feratur tamen judicium aliter, quàm bona  
de altero existimatio postulat; admittitur Injustitia,  
quia alteri fit injuria, & est Judicium temerarium.  
Quod debet nos de hujusmodi judiciis deterrere, po-  
tissimum illud est, quia excepto Deo, quilibet judi-  
cando potest labi, quia in cognoscendo potest falli:  
adeoque severissimè erit judicandus, qui de rebus, ut  
apparent, judicat. Is enim in re maximi momenti  
vult ultrò decipi: quod hinc liquet. Nihil profus in  
humanis est rebus, quantumcumque sit parvum, ac  
propè nullum, in quo velis ultrò decipi. Si quid audis,  
si quid quæris, velle sine falsum tibi responderi? si quid  
emis, quantâ satagis sollicitudine; ne aliud, quàm forte  
putes, & merito, & pretio tibi tradatur.

II. Nunc

II. Nunc igitur, si tantillis in reculis, unde tenuè emergit damnum, nunquam te velis decipi, quàm sis graviter arguendus, & severè judicandus, & justè condemnandus; si in illa re, quæ est omnium maximè momentosa; qualis est Dei cultus, & Animi salus, te ultro, & gratis velis illudi, decipi, & circumveniri? præstat in rebus aliis omnibus desipere, quàm in hoc uno non sapere, in aliis decipi semper, quàm hic semel. At verò, qui de rebus ut apparent, judicant, in re hac gravissima volunt decipi. Nonne tu sic judicas? Fære, quid censes de paupertate præ divitiis? de humanis miseriis, præ temporalibus commodis? de abjecta vivendi sorte, præ sublimi, & fortunata? Quid de prolixiori vita, præ immatura morte? Quid de infirma valetudine, præ firmis viribus? quid de amicorum, aut servorum ingenti copia, præ solitudine? Nonne paupertati præfers divitias? Nonne miseriis delicias? nonne honores calumniis? nonne potentiores infirmis? nonne uno verbo, vitæ præsentis commoda, tam longè anteponis incommodis? quàm longè vulgus anteponit, & præferenda judicat. Sed nonne tum sic postponenda anteponis, tibi ipsi in re gravissima gravissimè imponis? Unde enim tale iudicium? Nonne à Deo, non à Christo, non à veritate, non ex Scriptura, non ex Evangelio, cujus sunt alia de illis rebus pronuntiata. Undenam nisi ex apparenti rerum facie, quia sic res videntur oculis, sic sensu percipiuntur; sic opinione dicuntur; sic humano iudicio æstimantur.

III. Tales igitur, cum velint decipi, & avidè id ambiant, ipsi seipso judicant, seipso condemnant. Sicut porro errant iudicando sic de rebus, quia judi-

canc

cant secundum speciem. De quibus dici potest illud Danielis: (a) *Species decepit te*. Unum hoc agit illa species, ut decipiat, & decipiat animum, decipiat intellectum, & voluntatem, decipiat iudicium, & effectum, decipiat verò non in temporalibus, & politicis; sed in æternis illis, quorum jactura, est jactura animæ. Quàm porrò illud gravè! Cor, inter membra corporis est Metropolis, quasi in Regno hominis. Princeps autem cætera loca Regni sui, aliis iudicanda, & regenda tradere solet: Metropolim autem ipse inhabitare, regere, & in eo iudicare cupit. Deus, sibi soli cor iudicandum reliquit; ille solus scrutator est cordium. Hæc est venatio Principi reservata, in qua animalia insigniora commorantur, quæque ipse tantum scrutari valet. Qui igitur alios temerè iudicat; se plus quàm Deum pronuntiat: quia licet Deus iudicet omnes, tamen omnia nuda sunt oculis eius, & infinita pollet sapientia; unde iudicando nequit errare: at iste, cum sit homo, & insipiens, & occulta illi sint hominum corda, præsumit ergò saltem opere, tantum posse suam stultitiam, quantum Dei sapientiam. Quæ gravior in Deum injuria, quæ atrocior contra Deum blasphemia? Quare si me audis:

*Ne temerè alterius sis Iudex, nam vetat hoc lex.*